

IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VE-
RONENSIS, MEDICI ET PVBLCI IN
Academia Patauina olim professoris, CON-
SILIA de Febris.

CONSILIVM I.

De Febre continua, habete tamē cotidie duas
accessiones, quam Montanus ad spe-
ciem hemitritici referri
putabat.



LIAS admonuimus vos, quod cum
acceditis ad ægrum, primò oportet
vos considerare actiones læsas. Non
dicitur enim ægritudo nisi appareat
operationes læsæ, cum nihil aliud sit
morbus, quàm dispositio præter naturam lædens
operationes manifestè. Scitis autem operationes
esse triplices, animales, vitales, naturales. Accedi-
tis itaq; iam ad hunc ægrum, quem antequā per-
contemini multa, debetis videre, quæ sese vobis
offerunt. Videtis enim eum non posse quiescere:
ex eo nõ dubium est, quin aliquid patiatur neces-
sario in sensibus, & in virtute animali, alioqui
quiesceret. Afficitur ergo siue quod imaginetur
aliquid, vel quod habeat phrenesin, vel paraphre-
nesin. Non enim potest quietè manere in vno lo-
co, virtus itaq; animalis laborat. Præterea tangen-
tibus cutim apparet caliditas intensa, ex isto ergo
conijcimus, operationes vitales esse læsas. Ex calo-
re enim summo corporis æstimamus intempe-
riem calidam cordis: pulsus etiam sua motione
indicat virtutem vitalem valde esse offensam. Est
verò ea duplex seu triplex potius: quædam in cor-
de, vt ira & constantia: quædam propter ipsum,
vt euentatio & distributio caloris, quædam neq;
in corde neq; propter ipsum, vt virtus pulsatis.
Est enim ob reliquas præter cor partes, & extra
cor terminatiuè, huius etiã actio læsa est: nullam
enim dispositionem habet arteria secundum na-
turam, habet maiorem latitudinè, & est frequen-
tior: non videtur etiam quies inter ictum & ictu,
& adest præterea velocitas. Scimus autem quod
mutatur pulsus ob necessitatem auctam, & quan-
to magis augetur necessitas, tanto fit maior: & cū
non potest supplere necessitatem magnitudine,
supplet velocitate, quodq; hæc non supplet, fre-
quentiam addit, quæ contingit, quando ad sum-
mum deuenit necessitas, quæ est ex maximo calo-
re, & per consequens ex maxima febre. Est enim
febris calor accensus in corde, & sparsus per totū
corpus. Eaq; est febris humoralis, quia magna est
inæqualitas pulsus. Alia enim pulsatio alia maior
est, quod fit ob multitudinem materiæ aggrauan-
tis. Ita ex pulsu iudicamus affectum esse in corde:
ob maiorem caliditatem, esse febrem, ob pulsus
inæqualitatem, esse humoralem. Agitatio autem
illa (vt diximus) indicat aliquid esse in virtute
animali, seu cerebro. Sed nulla est læsio in sensib.
interioribz, bene ratiocinatur & imaginatur, &c.
Sensus etiam exteriores sani, solummodo circa
sensum tactus patitur, sentit enim conquassatio-

A nem omnium membrorū ob malā intemperiem,
& ob dolorem nõ potest permanere in vno situ.
Tertium etiã genus operationum læsum est, na-
turalium scilicet. Queritur de vētriculo, nā habet
punctiōnē & tensionem circa hypochondria, nec
hactenus habuimus signum ex ijs, quæ excernun-
tur, sed ex ijs apparentib. cōcluditur hoc corpus
laborare principaliter morbo vniuersali, videlicet
febri, ex tactu caliditatis & cōfractione omnium
partium, percepta per cōsensum cerebro. In ven-
tre verò habet obstructions, scilicet in vtroq; hy-
pochondrio. Habet præterea alia symptomata, vi-
delicet sitim, dolores capitis. Non possumus autē
curare febrem, nisi cognoscamus eā. Est verò hæc
humoralis, quia humores putrefiunt. Est ergo pu-
tredo prohibēda & euacuandi humores qui pu-
truerunt, & qui proximè ad putredinē accedunt.
Primum autē diuersi sunt humores, quorum quili-
bet indiget diuersis curationibz, & sunt in diuer-
sis partibus. A quo igitur erit hæc febris, an à pi-
uita, vel bile, aut humoribus mixtis? Indicia pro-
pria sunt sumenda. Habemus autē tria capita, ab
operationibus læsis: pulsus vehemēs & magnus,
velox, frequens, & inæqualis indicat febrem pro-
cedentē ab humore calido putrescente. Sed quia
humor calidus est, vel sanguis vel bilis: & febris
inuasit eum cum manifesto frigore durante vnā
horam: non potest autem esse febris putrida inci-
piens cum frigore à sanguine, qui putrescit in ve-
nis. Est igitur necessario bilis ruffa. Vtrum autem
sit sincera bilis aut alteri admixta? Non est cre-
dendum, quod sit exquisita: faceret enim Tertia-
nam, sed ista quotidie inuadit, incipit cum maxi-
mo frigore, & rarò desinit in sudorem, & durat
plusquàm 12. horas, imò 18. Habet ergo bilem do-
minantem, estque ea adusta & facta vitellina: fit
enim hæc quando bilis simplex aduritur, & ma-
iora facit symptomata, quàm admixta pituita cū
bile. Hic autem vtrunque est, quod ex tempera-
tura possumus colligere. Est enim niger secun-
dum totū habitum corporis, & omnia signa ten-
dunt ad adustionem. Habuit plurimas anxietates
animi. A cibarijs crassis & malis ac inordinate
sumptis plurimi geniti sunt humores pituitosi.
Habet etiam multas obstructions, vnde crudi-
tates variæ. In hoc igitur viro talis facta est miscel-
la, partim bilis mixta cum pituita, partim adu-
sta & propterea patitur maximum frigus, & quia
bilis putrescit, vapores ascendunt ad caput, &
causant dolorem capitis, & sitim etiam causant. Fi-
at hoc vespere clystere, vt habeat beneficium
ventris, ex decocto herbarum communium, cui
addantur mellis rosati ꝑ. iij. Hieræ picræ ꝑ. s. E-
ductis materijs malis exhibebimus aliquid per
os, & mittetur sanguis ad minus ꝑ. x. quod si
expectabit cras manè paroxysinum, mittatur in
vespere.

Naturalis.